Электронный архив РГБ Российской государственной библиотеки

Joannis Georgii Gmelini,

M.-Dr., Academici et Professoris quondam Petropolitani, deinde Chemiae et Historiae naturalis Professoris ord. Tubingensis,

Reliquias quae supersunt

commercii epistolici cum

CAROLO LINNAEO, ALBERTO HALLERO,
GUILIELMO STELLERO et al.,

Floram Gmelini sibiricam ejusque Iter sibiricum potissimum concernentis,

ex mandato et sumtibus

Academiae scientiarum Caesareae Petropolitanae

publicandas curavit

Dr. Guil. Henr. Theodor Plieninger,

Professor scient. nat. Stuttgartiensis, Regi Württembergiae a consiliis circa literarum studia sup., Collegii regii statistico-topographici membrum ordinarium et Collegii regii centralis adjuvandae agriculturae m. honorarium; Ordinis regii Friedericiani eques et numismate regio aureo majore decorandis scientiarum et artium cultoribus donatus; Academiae nat. cur. Caesareae Leopoldino-Carolinae, societatum nat. cur. Basileensis, Francofurtensis-Senkenbergianae, Lipsiensis, geologorum germanorum Berolinensis, pharmaceutarum Germaniae borealis; Societatum agronomico-oeconomicarum Badae, Bavariae, Bohemiae, Hassiae elect., Lipsiae, Saxoniae reg., Styriae etc. sodalis.

(Addita Autographa lapide impressa.)

Stuttgartiae 1861.

Typis C. F. Heringiani

Ботанический институт
ФУНДАМЕНТАЛ

Электронный архив РГБ Российской государственной библиотеки

Expositio rei primordialis.

Quod de opusculi hujusce occassione dicendum est, paucis exordiri liceat. — Forte feliciter accidit, ut annis aliquot abhinc a nepote ex sorore mea defuncta dilectissima, Guilielmo Gmelino, Regi Württembergiae a consiliis in justitia sup., botanico et entomologo studiosissimo atque Joannis Georgii Gmelini pronepote, fasciculum schedarum obtinerem, tum temporis e supellectili obsoleto, per seculum fere sub tecto aedium neglecto, depromtum. Fasciculo inerant varia Gmelini annotata et adversaria e curriculis academicis Petropolitano et Tubingensi et, quod majoris momenti, commercium epistolicum autographon cum Coaetaneis. Inter haec epistolarum series Caroli Linnaei, Alberti Halleri et Guilielmi Stelleri, priores duae potissimum de Flora sibirica et de rebus literariis illius temporis agentes, tertia Stelleri relata ex itinere suo continens, maxime arriserunt, utpote majoris momenti ad historiam scientiae rerum naturalium ejusque historiam literariam nec non ad biographiam Autorum existimandae, — ut earum publicatio, etsi post seculi plus quam peracti, vel — ut potius dicam — ob hoc intervallum, facile e re esse videretur. Editioni insunt

1) Literae Gmelini: initialis ad C. Linnaeum ex anno 1744; litera ad A. Hallerum ex a. 1743; ad Stellerum ex a. 1744; duae ad Krascheninnikowum ex a. 1740, et relatio de obitu Beringi ex litera ad Collinsonum 1744 scripta.
2) Literae Linnaei: sedecim epistolarum ad Gmelinum series ex annis 1744—51.
3) Literae Halleri: epistolae viginti quatuor ad Gmelinum ex annis 1743—51.
4) Literae Stelleri: epistolae quinque ad Gmelinum ex annis 1739—42.
5) Accedunt literae Prof. Mülleri duae ex anno 1741 de Falcone candicante.

Plures C. Linnaei epistolarum, ad scrutatores h. n. coaevos scriptarum, collectiones in publicum editae jam exstant, nec ulla ejusmodi reliquia »patris historiae naturalis« unquam vilis pretii existimabitur. Nec aliter A. Halleri, ingenii praepotentis et multifariam probatissimi; neque G. Stelleri, alacris semper et fere temerarii in scrutanda rerum natura propugnatoris. Ingenium, fata, etiam ambitiones, desideria, moli-

Digitized by Google

mina, commercium mutuum, labores et suppetiae Virorum, quos Heroës scientiae suspicimus, ex eorum communicatis privatis diversimode magis innotescunt, quam ex eorum scriptis publicis. Indefessos Virorum labores et immensam illorum provinciam, si cum verborum candore et temperantia compares, quibus de illis invicem loquuntur, augendae nobis reverentiae atque admirationi tantorum, quae praestiterunt, operum inservire necesse est, et laetissime arrident sincerae Collegarum coaevorum auctoritates, insignia J. G. Gmelini de h. n. merita confirmantes, et ferentibus et accipienti pariter honorificae. — Singularem Linnaei opinionem de generis humani classificatione, itemque de multiplicatione specierum, vel e plantis hybridis adeoque e copulis bigenericis, vel e successiva novorum characterum evolutione, (quae hypothesis theorias Recentiorum, Cel. Darwini insuper, consimiles longe antevenit, cf. et Gmelini sermonem academicum de novorum vegetabilium post creationem divinam exortu; acc. R. J. Camerarii de sexu plantarum epistola. Tubing. 1750. 8.); statuta illius de horologio florae, de peloria, de phosphorescentia maris, ejusque de margaritarum generatione artificiali et de Theae sinensis in alias terras transplantatione problemata — quae hodie soluta exstant — et in hisce illius literis reperies. — Mire animos adficiunt placidissima Halleri relata ad amicum de operibus suis diversissimae indolis, sese excipientibus, de scrutationibus suis in anatomia, physiologia, botanica adeoque de poëticis suis lucubrationibus, — quae omnia totidem ingenii universalioris testimonia. — Ridicula paene ex hodierna scientiae facie apparet simultas, in hisce epistolis passim indicata, quae Siegesbeckio, Academico et prof. bot. Petropolitano haud immerito, sed viro fere nimis ambitioso et pertinaci cum Linnaeo, Hallero, Gmelino et aliis erat, ad varias et inprimis contra systema sexuale oblocutiones Siegesbeckii et molitiones, e. g. Anandriam, Siegesbeckii plantarum genus, Systema sexuale nomine et omine enixe oppugnans, annexa; quae denique simultas in odium et varia scripta polemica efflagravit. Inter Linnaeum quoque et Hallerum dissensionum et opinionis vindiciarum vestigia passim obveniunt et animorum coelestium irae. — Sed rixas Eruditorum hodiernas de lanis caprinis et modernas altercationum facetias compares. —

In criticis Linnaei et Halleri plantarum diagnosibus e prolixis ideoque (contra Horatianum) obscuris illius temporis synonymiis jamjam expeditiorem et exactius significantem »systematis Linneani« terminologiam cum nominibus suis genericis atque specificis germinantem conspicimus. Sed quod omnino majoris momenti ad publicandas hasce reliquias videbitur: Linnaei atque Halleri dijudicationes plantarum sibiricarum, quas vivas vel siccatas a Gmelino communicatas viderunt et examinarunt, ad investigandam plantarum, quas »Flora sibirica« Gmelini enumerat, identitatem cum hodierni systematis synonymia aliquantum afferent. Icones Florae sibiricae parum juvant, ad specimina plerumque

Digitized by Google